

LECTIO XXI : ΠΩΣ ΠΗΡΕ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΤΟΥ ΤΟ ΠΙΣΑΥΡΟΝ

Brenno duce Galli, apud Alliam flumen deletis legionibus Romanorum, everterunt urbem Romam praeter Capitolium, pro quo immensam pecuniam acceperunt.

Tum Camillus, qui diu apud Ardeam in exilio fuerat propter Veientanam praedam non aequo iure divisam, absens dictator est factus; is Gallos iam abeuntes secutus est: quibus interemptis aurum omne recepit. Quod illic appensum civitati nomen dedit: nam Pisaurum dicitur, quod illic aurum pensatum est. Post hoc factum rediit in exilium, unde tamen rogatus reversus est.

LECTIO XXII: ΠΡΟΤΡΟΠΕΣ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΡΩΜΑΙΟΥΣ

Imitemur nostros Brutos, Camillos, Decios, Curios, Fabricios, Scipiones, innumerabiles alios qui hanc rem publicam stabiliverunt; quos equidem in deorum immortalium coetu ac numero repono. Amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis; praesentes fructus neglegamus, posteritatis gloriae serviamus; id esse optimum putemus, quod est rectissimum; speremus quae volumus, sed feramus quod acciderit; arbitremur denique corpus virorum fortium magnorumque hominum esse mortale, animi vero motus et virtutis gloriam sempiternam esse.

LECTIO XXIII: ΕΝΑΣ ΥΠΕΡΟΧΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΣ

Aegrotabat Caecina Paetus, maritus Arriae, aegrotabat et filius. Filius mortuus est. Huic Arria funus ita paravit, ut ignoraretur a marito; quin immo cum illa cubiculum mariti intraverat, vivere filium simulabat, ac marito persaepe interroganti, quid ageret puer, respondebat: «Bene quievit, libenter cibum sumpsit». Deinde, cum lacrimae suae, diu cohibitae, vincerent prorumperentque, egrediebatur; tum se dolori dabat et paulo post siccis oculis redibat. Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat; fuerat Paetus in partibus eius et, occiso Scriboniano, Romam trahebatur. Erat ascensurus navem; Arria milites orabat, ut simul imponeretur. Non impetravit: conduxit piscatoriam naviculam ingentemque navem secuta est.

LECTIO XXIV: ΤΟ ΠΑΘΗΜΑ ΕΝΟΣ ΨΕΥΤΗ

Cum P. Cornēlius Nasīca ad Ennium poētam venisset eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset eum domi non esse, Nasica sensit illum domini iussu id dixisse et illum intus esse. Accipe nunc quid postea Nasīca fecerit. Paucis post diēbus cum Ennius ad Nasīcam venisset et eum a ianuā quaereret, exclamāvit Nasica se domi non esse, etsi domi erat. Tum Ennius indignātus quod Nasīca tam aperte mentiebātur: “Quid?” inquit “Ego non cognosco vocem tuam?” Visne scire quid Nasīca responderit? “Homo es impudens. Ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse; tu mihi ipsi non credis?”

LECTIO XXV: ΠΩΣ ΕΝΑ ΣΥΚΟ ΣΤΑΘΗΚΕ ΑΦΟΡΜΗ ΝΑ ΚΑΤΑΣΤΡΑΦΕΙ Η ΚΑΡΧΗΔΟΝΑ

Cato attulit quodam die in curiam ficum praecocem ex Carthagine ostendensque patribus «Interrogo vos» inquit «quando hanc ficum decerptam esse putetis ex arbore». Cum omnes recentem esse dixissent, «Atqui ante tertium diem» inquit «scitote decerptam esse Carthagine. Tam prope a muris habemus hostem! Itaque cavete periculum, tutamini patriam. Opibus urbis nolite confidere. Fiduciam, quae nimia vobis est, deponite. Neminem credideritis patriae consulturum esse, nisi vos ipsi patriae consulueritis. Mementote rem publicam in extremo discrimine quondam fuisse!» Statimque sumptum est Punicum bellum tertium, quo Carthago deleta est.

LECTIO XXVI: Ο ΠΛΙΝΙΟΣ ΑΝΑΓΓΕΛΛΕΙ ΕΝΑ ΘΛΙΒΕΡΟ ΓΕΓΟΝΟΣ

C. Plinius Marcellino suo salutem.

Tristissimus haec tibi scribo: Fundani nostri filia minor mortua est. Ea puella nihil umquam festivius, nihil amabilius nec longiore vita dignius vidi. Nondum annos XIII impleverat, et iam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat et tamen suavitas puellaris. Ut illa patris cervicibus inhaerebat! ut nos amicos paternos et amanter et modeste complectebatur! ut nutrices, ut paedagogos, ut praeceptores diligebat! quam studiose, quam intellegenter lectitabat! ut parcelludebat! Qua illa patientia, qua etiam constantia novissimam valetudinem tulit!

LECTIO XXVII: ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ ΩΡΙΜΑΖΕΙ ΟΠΩΣ ΟΙ ΚΑΡΠΟΙ

Cum Accius ex urbe Roma Tarentum venisset, ubi Pacuvius grandi iam aetate recesserat, devertit ad eum. Accius, qui multo minor natu erat, tragoediam suam, cui «Atreus» nomen est, ei desideranti legit. Tum Pacuvius dixit sonora quidem esse et grandia quae scripsisset, sed videri tamen ea sibi duriora et acerbiora. «Ita est» inquit Accius «ut dicis; neque id me sane paenitet; meliora enim fore spero, quae deinceps scribam. Nam quod in pomis est, idem esse aiunt in ingeniis: quae dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda; sed quae gignuntur statim vieta et mollia, non matura mox fiunt sed putria».

LECTIO XXVIII: ΣΤΑ ΙΧΝΗ ΕΝΟΣ ΔΡΑΠΕΤΗ ΔΟΥΛΟΥ

Aesopi nostri Licinus servus tibi notus Roma Athenas fugit. Is Athenis apud Patronem Epicureum paucos menses pro libero fuit, inde in Asiam abiit. Postea Plato quidam Sardinus, cum eum fugitivum esse ex Aesopi litteris cognovisset, hominem comprehendit et in custodiam Ephesi tradidit. Tu hominem investiga, quaeso, summaque diligentia vel Romam mitte vel Epheso rediens tecum deduc. Noli spectare quanti homo sit. Parvi enim preti est, qui tam nihili est. Sed, propter servi scelus et audaciam, tanto dolore Aesopus est adfectus, ut nihil ei gratius possit esse quam recuperatio fugitivi.

LECTIO XXIX: Ο ΟΚΤΑΒΙΑΝΟΣ, Ο ΠΑΠΟΥΤΣΗΣ ΚΑΙ ΤΟ ΚΟΡΑΚΙ

Cum Octavianus post victoriam Actiacam Romam rediret, homo quidam ei occurrit corvum tenens; eum instituerat haec dicere: «Ave, Caesar, victor imperator». Caesaris multum interfuit corvum emere; itaque viginti milibus sestertium eum emit. Id exemplum sutorem quendam incitavit, ut corvum doceret parem salutationem. Diu operam frustra impendebat; quotiescumque avis non respondebat, sutor dicere solebat «Oleum et operam perdidi». Tandem corvus salutationem didicit et sutor, cupidus pecuniae, eum Caesari attulit. Audita salutatione Caesar dixit: «Domi satis salutationum talium audio». Tum venit corvo in mentem verborum domini sui: «Oleum et operam perdidi». Ad haec verba Augustus risit emitque avem tanti, quanti nullam adhuc emerat.

LECTIO XXX: Ο ΛΙΚΙΝΙΟΣ ΜΟΥΡΗΝΑΣ ΚΑΙ ΤΑ ΗΘΗ ΤΗΣ ΑΝΑΤΟΛΗΣ

Hic vero, iudices, et fuit in Asia et viro fortissimo patri suo, magno adiumento in periculis, solacio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et si habet Asia suspicionem quandam luxuriae, Murenam laudare debemus, quod Asiam vidit sed in Asia continenter vixit. Quam ob rem accusatores non Asiae nomen Murenae obiecerunt, ex qua laus familiae, memoria generi, honos et gloria nomini constituta est, sed aliquod flagitium ac dedecus aut in Asia susceptum aut ex Asia deportatum. Meruisse vero stipendia in eo bello virtutis fuit; patre imperatore libentissime meruisse pietatis fuit; finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fuisse felicitatis fuit.